



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum

**Polius, Jacobus**

**Herbipoli, 1652**

19. An Lex de nubendo intra tribum fuerit in viridi observantia ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43946**



*An Lex de nubendo intra tribum in viridi  
observantiâ fuerit. §. 19.*

**P**ostquam decem tribus in captivitatem Babilonicam abductæ, per regiones Orientis dispersæ fuerant, dominatores quoque Assyrii in Judæâ omnia confudissent, rectè dicit Damascenus, <sup>a</sup> quod cessarit Lex de nubendo intra tribum. Attamen à Maria & Joseph legem zelantibus, observata fuit, ipso Damasceno contestante. Insuper Eusebius Emiffenus <sup>b</sup> asserit: *Neque enim aliter secundum legem conjungi potuissent, nisi de eâdem tribu ambo fuissent, si enim aliquis mihi objiciat, multos de aliâ quoque & non tantum de propriâ tribu duxisse uxores, Respondeo non solum hoc, sed multa alia plerumque contra legem Iudeos fecisse. Joseph verò contra legem agere non poterat, utpote qui justus erat, & Deum offendere in omnibus timebat. Hac autem Lex etsi fortasse non ad plenum ab aliis custodiebatur, ab illis tamen mulieribus custodire necessarium erat, quæ quando Fratres non habebant, parentibus suis in hereditatem succedebant.*

2. Ratio altera, cur magis Zelotes intra tribum Juda nubendo se continuerint, docente S. Thoma <sup>c</sup> & Lansbergio: <sup>d</sup> *Optabant enim omnes, optabant singuli ut de suo semine, suæque familiâ nasceretur Christus, quandoquidem doctio-*

H 4 res

<sup>a</sup> Damascen. orat. 3. de nativ. B. Virg. <sup>b</sup> Euseb. in nativ. B. Virg. <sup>c</sup> Thom. 4. scripto dist. 49. <sup>d</sup> Lansberg. serm. 1. de S. Anna.



res noverant, ex qua tribu Christus nasciturus esset: eandemque causam insinuat Rupertus.

3. Tertia ratio, quod mediantibus oraculo divino, & virgæ florescentis miraculo, intra tribum Juda B. Virgo desponsata fuerit, uti §. 21. paulo post sequenti & par. 2. q. 23. sufficienter probabimus.

*An Maria fuerit filia hereditans? §. 20.*

**P**etrus Damiani<sup>a</sup> Cardinalis serm. de nativ. B.M. Virg. ad hunc modum loquitur: *Libet autem nunc pro edificatione nostrâ, in regulâ divinæ justitiæ parumper radios mentis insigere, & qualiter Deus electos suos deprimi temporaliter sinat atque in æternum extollere decreverit, indagare.* Atque idem Scriptor mox ibidem beatissimam virginem Mariam ante constitutionem mundi, in consilio æternæ sapientiæ electam, ducit in exemplum. Stante itaque hujusmodi temporali depressione consurgit quæstio à Rutilio Benzoni<sup>b</sup> mota, quam Eusebius Emisenus hoc complexu verborum resolvit: *Sed fortasse dicis beatissimam virginem Mariam non habuisse hereditatem? Lege ergo in Levitico, & invenies, quod nemo hereditatem suam ex toto vendere poterat, et si usum ejus vendere potuisset, veniente namque Jubileo omnis hereditas ad proprium Dominum revertebatur.*

2. Vc-

<sup>a</sup> Surius 8. Septemb. Franc. Feuard. Theor. lib. 10. c. 1. 2. 5.

<sup>b</sup> Benzoni, de Jubileo 1. 5. c. 12.